

ut magno desiderio caperetur eum cognoscendi, quidnam vir Dei minuta ista pecunia ageret. Dedit igitur cuidam e pueris in mandatis, ut vestigiis ejus callide insisteret. Secutus puer studiose Marcianum observat, et summa diligentia quidnam agat explorat. Vidit ergo et eum, postquam plurimos variis miseris afflictos præsenti pecunia sublevasset, ad mortuum quemdam, in cauponis cujusdam domuncula jacentem ingredi, cadaver magno charitatis studio abluere, et post lacrymas et oscula, vestibus indutum decenter in lecto componere. His visis puer exhorruit, et concito gradu quæ viderat suo magistro renuntiavit. Obstupuit ille tanta viri pietate, gravi in eum admissi sceleris dolore percussus, veniamque cum lacrymis flagitavit. Quem Marcianus benigne amplexatus, nequaquam se ab eo injuria affectum simulare, nec unquam hominem tamquam improbum aversari, quin etiam maximo deinceps benevolentiae studio eum prosequi, » Metaphr. apud Sur. et Lipel. 10. jan. Sed recentius aliud audiamus. Ludovicus Granatensis vir, ex ordine Prædicat. doctrina et pietate conspicuus, circa horam noctis undecimam in cubiculum se abiderat, et magno singultu ac suspiciis editis corpus suum flagellabat, a nemine se exaudiri arbitratus, tum adminiculo noctis, tum etiam temporis intempesti securum se credens. Ecce nobiles duo per plateas, quibus cubiculum Ludovici imminabat, ad locum inhonestam vomitibus destinatum pergentes, audiunt illic verbera flagellorum, quin et devotæ animæ orantis querelas et expostulationes, quibus veluti ab ore concionatoris profectis, in corde et conscientia percussi, pedem fixerunt ad illas melius exaudiendas; valdeque tanto exemplo permoti, se invicem alloquentes: Ah! dicebant, nos miseros! En quomodo bonus ille religiosus flagellis in membra sua, et hoc quidem tempore, sæviat, qui nunquam forsitan mortali aliquo delicto Deum offendit. Et nos peccatores et miseri hac eadem hora ad Dei præcepta violanda contendimus. Non dubium ad nostram confusionem Deum permisisse hæc a nobis audiri: Crastina die, inquit unus, quis religiosorum in hoc ultimo cubiculo habitet, resciam, ut ejus me precibus orationibusque commendem. Sic ambo intrinsecus animo compuncti, et ad meliorem mentem revocati, a perverso resiliere proposito, reversi domum, unde venerant. Ita habetur in ejus vita, c. IV. Possent hac eadem via non difficile reducere ad Christum domini servos suos, et parentes liberos, si eis virtutum præire exemplo vellet. Hæret enim in animis filiorum, quod fieri parentibus vident: inde piorum parentum filii

communiter pii et devoti sunt. Laurentius Justinianus, ut cæteros mittam, Venetiarum decus et patriarcha, adhuc puerulus, mortuo patre, cum videret matrem jejuniis, orationibus et elemosynis vacantem, audiretque ferrea catena ad lumbos cinctam, nec interim disciplinam domesticam negligere; maternæ pietatis æmulus, semper cum ea impubes adhuc agere, clamque sibi lectum sternere, virentiaque ligna pro molliore pluma sibi subjacere cœpit, donec valedicto matri, secutus præterea vocem nocturnam, monasticam vitam complexus est, in qua sic claruit excelluitque, ut et hodie inter beatos insignis habeatur: scriptis testatus est, secutum se veram pietatem, et matris exemplo, et Virginis divinam sapientiam representantis pollicitatione, quæ per somnium illi occurrit. Parentes igitur qui bonos liberos exoptant, non solum verbis illos moneant, sed seipsos tales faciant, quales eos habere desiderant. Hos et horum similes modos lucrandi proximum breviter tangit Divus Chrysostomus, hom. XXX. in Matth. cum ait: « Cum inimicum aliquem veritatis videris, omni studio ac cura conare eum ad virtutem reducere, primum vivendi exemplis, deinde orationis gravitate, ac postremum patrocinii et auxilii copia. Non graveris omnia emendationis genera percurrere. Imitandi sunt enim boni medici, qui non uno curationis modo utuntur: sed cum viderint primis remediis non esse depressum morbum, alia atque alia rursus excogitant. Quare tu etiam animarum medicus factus, omni curationis modo secundum leges Christi utaris. »

CONCIO II.

SURDI ALIQUOT LAUDE DIGNI.

- I. Qui diabolicas suggestiones non audiunt. — II. Qui probra in se conjecta surda aure pertranseunt. — III. Qui inter detrahentes obturant aures suas. — IV. Qui carnem et sanguinem non audiunt. — V. Qui falsas delationes non audiunt.

THEMA.

Adducunt ei surdum. Marci VII.

Sæpius quidem in Scripturis sacris accusantur surdi et vocantur ad audiendum Dei verbum: non venientes objurgantur, uti ab Isaia, cap. XLII. *Surdi audite et cæci intuemini*: et in evangelio Marci IX. comminatur Christus surdo et muto dæmonio: *Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo*. Interea tamen reperio legem a Deo datam in v. t. quæ favere videtur surdis. Ita enim legimus, Levit. XIX. *Non maledices surdo,*

quasi et jam surdi inveniantur aliqui, qui nequaquam mereantur vituperium, sed potius laudem. Et certe talis fuit vir secundum cor Dei, David, qui Psal. XXXVII. dixit de se inter calumniatores constituto: *Ego autem tamquam surdus non audiebam*. Quinimo Michæas propheta, cap. VII. prædicat Christianos e gentibus convertendos, surdos evasuros æque ac mutos, ut exponit Sanctius. Ita enim ait: *Videbunt gentes et confundentur super omni fortitudine sua* (quia nihil scilicet poterunt contra fidem Christi ejusque disseminatores), *ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt*, quasi dicat: Obmutescant et obsurdescant quando audient in se jactari probra et contumelias, suggeri consilia prava, etc. Tales igitur surdi: utinam juxta hoc Michææ vaticinium simus omnes nos! Quibus vero in rebus potissimum surdos nos esse deceat, nunc videbimus.

I. Surdi boni et laude digni sunt, qui diaboli et mancipiorum ejus suggestiones ac tentationes adeo contemnunt, quasi minime audiant. De tali surdo sub typo onagri dicitur Job XLIX. § VII. *Contemnit multitudinem civitatis, vocem exactoris non audit*. Exactorem dici dæmonem, qui continuo a mancipiis suis exigit nova et nova peccatorum tributa, testatur Isaïas, c. IX. cum ait de Messia, quod *sceptrum exactoris superaturus sit*. Et ita exponit S. Greg. I. XXX. moral. cap. XXIII. in eum Jobi locum: « Quis, inquit, intelligi exactor alius nisi diabolus potest, qui semel in paradiso homini malum persuasionis nummum contulit, et quotidie ab eo hujus debiti exigere reatum quærit? Hujus exactoris sermo est mala suggestionis inchoatio: hujus exactoris clamor est jam non levis, sed violenta tentatio: hic exactor loquitur, cum leniter suggerit: hic exactor clamat, cum fortiter tentat. Clamorem ergo exactoris non audire, est violentis tentationum motibus minime consentire. Audiret enim, si ea quæ suggerit faceret. » Ita Gregorius. Quis vero est onager? Respondet ad hoc idem s. pater, eod. lib. c. XII. « Onager, inquit, qui in solitudine commoratur, non incongrue vitam eorum significat, qui remoti a turbis sæcularibus conversantur. Qui apte etiam liber dicitur, quia magna est servitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudet. » Hujusmodi onager erat in primis S. Antonius, qui in solitudine degens, omnia dæmonum terculamenta flocci pendit ac contempsit, eorumque effectos psalmos, modulationes suaves, necnon Scripturarum eloquia surda aure pertransiit. « Frequenter enim, inquit in concione ad fratres, legentibus nobis quasi echo ad extrema verba respondent. Dormientes

quoque excitant ad orandum, ut totius noctis somnum eripiant. Plerosque etiam, dum se in monachorum nobilium habitu transferunt, monachos coercent, et pristina, quibus concei sunt, peccata imputant. Sed spernendæ sunt eorum increpationes et admonitiones jejunandi, vigiliarum quoque fraudulenta suggestio. » Et paulo post: « Nos autem vestigiis sanctorum inhærentes, eandem gradiamur viam, qui memoratas subtilius fallacias parvipendentes caneant: Cum consisteret adversum me peccator, obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis: » et iterum: « Ego vero tamquam surdus non audiebam, etc. » apud D. Athanasium in vita. Ex qua doctrina habemus melius et efficacius non elidi dæmonis insidias, quam per contemptum, si velut surdi ejus suggestiones aspernemur. Cæterum præstare onagris hoc quidem per facile est, iis inquam, qui terrena omnia pro nihilo ducunt, et solum Deum in solitudine cordis sui quærunt: qui tum Antonio objectum sibi a dæmone aureum et argenteum discum velut cæci et surdi pertranseunt: iis vero qui transitoriis hisce rebus afficiuntur, perdifficile. Propterea dæmon mundanis magis quam religiosis nocet, quemadmodum et milvus nihil potest in silvestres aves, utpote ignavus in pernices: sed in pullos solum domesticos, qui parum volatu et celeritate valent. Quisquis ergo hujusmodi surdus esse desiderat, mundana omnia spernat, cogitet dæmonem puerum esse horridum, nigrum, deformem, imbellem, timidum, qualis et apparuit S. Antonio, qui proinde ei respondit: *Multum ergo despicibilis multumque contemptibilis es, nam et obscuritas tua et ætas infirmarum sunt signa rerum. Nulla mihi jam de te cura est. Dominus mihi adjutor est, et ego exultabo super inimicos meos*. Quo dicto, ille evanuit. Male sibi consulunt, qui cum dæmone disputare aut sermocinari volunt, uti sensit Eva; quæ si ad serpentis sibilum surda fuisset, plane eum contrivisset. Unde S. Ambrosius, in Psal. XXXVIII. ait: *Vicissemus, si Eva tacuisset atque aut Adam surdus fuisset, aut Eva obtumisset: ille, ne vocem suæ uxoris audiret: ista, ne loqueretur marito, et lubricæ vocis ministerio serpentis in virum venena transfunderet*.

II. Qui contumelias et calumnias aliasque injurias in se conjectas surda aure pertranseunt. Optimo enim et nobilissimo modo sic se defendunt, quemadmodum et canum latratus non facilius sedamus quam tacendo et dissimulando: excitamus impugnando. Plus etiam dedecoris habet, qui contumelias infert, quam qui eas sustinet et interim contemnit. Doctorem et coryphæum hujus surditatis habemus Christum Dominum, qui:

*Cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, I. Petr. II. qui: Quasi agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum, Isa. LIII. Cumque Judæi contra eum indignati essent propter applausum puerorum, relictis illis, abiit, Matth. XXI. § XVII. « Ut recedendo comperceret, inquit auctor oper. imperf. hom. XXXVIII. quos respondendo non potuit: quia malitia non comperitur sermonibus, sed excitatur. Malum enim hominem melius locum dando potes vincere, quam respondendo. Nam si contendis irrationabilem ratione placare, et illum non placas, et teipsum subvertis. » Denique, coram præside et Herode accusatus falsis testimoniis, nihil respondit; ut dixerit in ejus persona propheta: *Ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum, Ps. XLVII. quasi omnem non modo voluntatem, sed etiam facultatem respondendi sibi eripuisset. Hac ratione: Christus calumniis appetitus, silentium detulit triumphale, inquit S. Ambros. serm. XVII. in Psal. CXVIII. non solum vincens calumniatores suos, sed etiam triumphans, longe gloriosius, quam si longa disceptatione calumnias depulisset. Quæ fortasse causa est, cur eum sponsa in Canticis assimilarit capreae et hinnulo cervorum: *Similis est dilectus meus capreae, cap. II. et rursum: Fuge dilecte mi, assimilare capreae hinnuloque cervorum, cap. VIII. Etenim cervus non modo sine omni noxa, sed medicinae loco etiam ad salutem devorat serpentes: caprea vero helleborum, venenatam etiam herbam sine damno vorat, teste Plinio, l. XXIV. c. V. Ita sponsus Ecclesiae Christus, non modo patientissimo animo devoravit omnes contumelias, probra et improperia, sed videbatur etiam delectari et saginari illis, ut loquitur Tertullianus, l. III. de patientia, c. III. *Saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Laudandus quidem in hac re fuit Saul, quando in regem electus, a quibusdam filiis Belial spretus fuit, dicentibus: Num salvare nos poterit iste? Et ipse dissimulabat se audire, Hebr. factus est quasi surdus, I. Reg. X. Verum ea surditas et dissimulatio necessitatis fuit; siquidem noviter electus rex, vires ad vindicandum se non habuit. At vero Christus Dominus, eum summam haberet facultatem ac virtutem sese vindicandi, noluit tamen ea uti; quinimo se quasi abdicavit sponte, quando dæmoniacus appellatus, respondit: *Ego non quaero gloriam meam; est qui quaerat et judicet. Cur hic iudicem se dissimulat? Respondet D. Chrysostomus, hom. XVIII. in evang. *Illatas contumelias Patris iudicio reservat, ut nobis profecto insinuet, quantum nos esse patientes debemus dum se adhuc ulcisci non vult et ipse qui******

*judicat. Ad hæc Saul dissimulabat se audire derisiones, interim tamen audiit, et inde amaritudinem aliquam sensit; at vero Christus per os prophetæ ait: *Ego autem sicut surdus non audiebam, quasi de responsione vel vindicta nihil plane cogitans. Hunc magistrum suum gloriose secutus est D. Bernard. Sennens. de quo ita quidam ejus contemporaneus scribit, apud Sur. 20. maii: « Eunte illo quandoque cum fratre per plateas urbis Sennensis, petulantes pueri a tergo illudebant ei et in ejus nudos calcaneos lapillos jactabant. Nudis enim ingrediebatur pedibus, et tunica non attingebat tibias, ut plus ex frigore molestiæ caperet. At ille ne semel quidem respiciens, nec quicquam omnino commotus pergebat itinere suo, perinde ac si surdus ac insensibilis esset. Socius vero id indigne ferens: Non advertis, inquit, quid isti insolentes pueri faciunt? Respondit vir sanctus: Faciant illi quidquid libitum erit eis, materiam nobis exhibent, unde sempiternæ gloriæ coronas nobis texamus. » O præclarum Christi imitorem!**

III. Qui inter detrahentes constituti obturant aures suas, ne audiant detractiones. Hoc in primis suadet Ecclesiasticus, c. XXVIII. dicens: *Sepi aures tuas spinis, et linguam nequam noli audire, Gr. sepi possessionem tuam spinis.* Alludit ad agrorum fines, quos agricolæ spinis sepiunt, ne quis ingredi præsumat: itaque vult ut ne ad aures quidem admittamus linguam detractoriam. Quænam vero spinæ, quibus sepiantur aures contra ejusmodi linguam? Primo, si ostendas seu verbo seu signo alio tibi displicere ejusmodi narrationes. Sic enim nugivendus ille, si viderit merces suas tibi displicere, brevi claudet officinam suam, et desinet tibi molestus esse. Nam, ut ait Salomon, Prov. XXV. *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.* Austerus ventus est aquilo, asper et frigidus, dissipans nubes, unde *scopa cæli* dicitur: ita vultus tristis et terrius linguam detrahentem compercit, velut atram nubem. His spinis sepiit aures suas S. Pacomius, qui audiens detrahentem: *Avertens se ab eo, velut a facie serpentis, concitus abscedebat, illud psalmi frequenter insinuans: Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequerbar, Ps. C. Davidis igitur exemplum secutus fuit, qui detrahentes etiam persecutus fuit. Quod ita expendit D. Chrys. hom. XLII. in Gen. « Vidisti, inquit, virtutis eminentiam? Non solum non recipit, quæ dicuntur, sed et abigit volentem fratri suo maledicere. » Secundo, si ad somnum te componas aut dormituriens similes. Hac arte sepiit aures suas Machus ille senex, quin et habuit gratiam obdormiendi inter ejusmodi*

sermone, uti scribit Jo. Cass. l. V. de instit. renuntiat. c. XXIX. « Vidimus, inquit, senem Machetem nomine, a turbis fratrum eminus commorantem hanc a Domino gratiam diuturnis precibus impetrasse, ut quoquot diebus ac noctibus ageretur collatio spiritualis, nunquam somni tempore penitus laxaretur. Si quis vero detractoris verbum seu otiosum tentasset inserere, in somnum protinus concidebat; ac si nec usque ad aurium quidem ejus pollutionem virus obloquii poterat pervenire. » Tertio, si sermonem alio divertamus. Hoc medio uti solebat Thomas Morus Angliæ cancellarius, qui, si ejusmodi sermones incidissent, alio eos derivans, aiebat, v. g. *Dicant alii quidquid volunt; ego dicam domum illam pulcherrime extractam, ejusque architectum virum excellentem et præclaro ingenio esse.* Ita Staplet. in ejus vita. Quarto, si detractori vitium aggeramus proprium, ut seipsum medicus curet, quomodo Christus accusatoribus adulteræ respondit: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, Jo. VIII. Denique, si potestatem habentes compecamus detrahentes; qua ratione S. Franciscus audiens semel fratrem quemdam denigrare famam alterius, conversus ad vicarium suum dixit: *Surge, surge, discute diligenter: et si accusatum fratrem innocentem repereris, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem.* Nonnunquam vero eum, qui fratrem suum famæ gloria spoliaret, judicabat habitu spoliandum, nec ad Dominum oculos levare posse, nisi prius quod abstulerat reddere pro posse curaret. Ita S. Bonavent. in ejus vita, c. VIII.*

IV. Qui carni et sanguini omnique voluptatis illecebris a Deo avocantibus aures ocludunt. Qua de re audiamus loqui Is. c. XXXIII. dicentem: *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem (h. e. nec carnis concupiscentiis obediat) et claudit oculos ne videat malum; iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas ejus, q. d. in cælo. Quem locum explicans S. Greg. XXIII. moral. c. XXV. *Quid est, inquit, obturare aures suas, ne audiant sanguinem, nisi peccatis suadentibus, quæ de sanguine et carne nascuntur non præbere consensum? Solent certe consanguinei persæpe avocare hominem a via virtutis et trahere ad sæculi vetitas vel saltem periculosas delicias; quibus, si sapis, obsurdesce, et imitare vacas illas, quæ junctæ plaustro, arcam fœderis recto itinere vexerunt in terram Israel, non audientes nec curantes vitulorum suorum mugitus, I. Reg. VI. Plorent sanguine juncti, parentes, filii, murmuret caro, clamet pellex: *Itane deseres me, et ab hoc tempore non licebit amplius hoc et illud? Clausis perge auribus in virtutis via: sic venies in Bethsamas, h. e. in***

*domum solis. Legem tulerat Deus, Deut. XIII. Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ aut filius tuus, vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: *Eamus et serviamus diis alienis, etc. non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis et occultes eum: sed statim interficies (h. e. accusabis eum ut interficiatur), sit primum manus tua super eum, et postea omnis populus mittat manum, q. d. primus in eum lapidem mitte. Quid severius edici poterat ad cognatorum affectus, si divinis obsequiis adversentur, amputandos? Non multum interest, utrum quis in idololatriæ crimen an in aliud scelus mortiferum abducatur a carne et sanguine, in eandem Vulcani ollam incidet, in quam cadunt idololatræ. Non urgebantur septem fratres Macchabæi, ut idola adorarent, sed et contra legem suam porcinis solum vescerentur; et tamen ocluserunt aures suas, ne parerent regi Antiocho; quorum natu minimus ait: *Quem sustinetis? Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, II. Macch. VII. Idem die Sirenibus vetitarum voluptatum non audio, non obedio nisi legi Dei. Occlude aures pellici, quæ te invitat sicut meretrix illa, Prov. VII. *Veni, inebriemur uberibus et fruamur cupitis amplexibus, etc. fli mi, ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis ejus.* Contra hujusmodi Sirenes fide. quasi cera, aures nostras obstruamus, cogitantes quam serio ac severe fides nostra prohibeat omnia scelera sub interminatione gehennæ, jactura regni cælorum, etc. Ita suadet S. Paulin. ep. IV. ad Sev. scribens: « Arbor illis est virga de radice Jesse, quæ totum corporis nostri quadriremem regit, et cui, si juxta illam poeticam fabulam in prophetica veritate nectamur, voluntariis adstricti nexibus et obstrictis non cera, sed fide, neque corporis sed cordis auribus, contra hujus mundi varias ad capiendum, pares ad nocendum illecebras, tuti et innocui scopulos voluptatum, quasi saxa Sirenum prætervehemur. »***

V. Qui falsas accusationes et delationes importunas aliaque blandimenta contra justitiam ad aures non admittunt. Eo etiam respexit Isaias loco proxime cit. cum dixit: *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, h. e. fictas delationes et criminationes, quæ petunt innocentem sanguinem. Ad hoc attendant magistratus, ne faciles aures præbeant quibusvis delatoribus et accusatoribus, sed in ipsos prius inquirent, cujus famæ et vitæ sint. Celebre dictum est Cæsaris Domitiani: *Princeps, qui delatores non castigat, irritat, apud Suet. Eiusdem frater Titus imp. delatores assidue in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissime traductos per amphitheatri arenam, partim sub-**

fici in servos ac venire imperavit, partim in asperrimas insulas evehi. Idem Suet. in Tito. Gentiles alii in Creta Jovem pingebant auribus caentem, ut ea effigie admonerentur omnes, principes in primis et magistratus non expedire ut aures præbeant delatoribus; sed, quoad fieri potest, ipsi omnia recognoscant et inspiciant. Mide vero Phrygum regi asininas appinxere aures, quod omnia, quæ in regno fiebant, per delatores et subauscultatores investigaret. Sapiens multo Samuel, iudex Hebræorum, subditos suos ipse frequenter visitavit, eorumque urbes obibat, et in primariis earum, Bethel, Galgala et Masphat tribunalia sibi constituerebat; sedem vero iudicii ordinariam collocarat in Masphat, quæ vox speculationem significat, indicans necessariam esse magistratui populi inspectionem, et causarum recognitionem, I. Reg. VII. Quam vero perniciosum sit delatoribus facile credere, memorabili exemplo ostendit Phædrus, libertus Augusti Cæsaris, lib. III. Fab. cap. XLIX. « Quidam, inquit, libertus accusavit heram apud herum de adulterio, ut utriusque hæres evaderet. Herus, ut scelus deprehenderet, finxit se foras proficisci: at noctu festinus domum redit: adit lectum in tenebris, virum in eo cubantem deprehendit, quem suspiciens esse adulterum, ex impatientia præcipitanter confodit. Ac, illato lumine, videt esse filium suum: quare, præ dolore impatiens, eodem pugione seipsum transverberat. Uxor apud eum viros agitur rea viricidii, et filicidii, quod tam virum quam filium occiderit. Augustus Cæsar, rei veritate vestigata et perspecta, hanc tulit sententiam: Libertus, qui omnis mali causa extitit, det pœnas: nam heram orbatam tam viro quam filio miserandam magis, quam damnandam censeo. » En pater impatiens, impatientiæ hæc damna retulit, primo cædem filii, secundo cædem sui ipsius, tertio uxoris orbationem, calumniam et vitæ periculum.

CONCIO III.

QUATUOR SURDI PERICULOSI.

I. Qui bona consilia et correctiones non audiunt. — II. Qui verbo Dei aures ocludunt. — III. Qui causas pupillorum non audiunt nec expediunt. — IV. Qui veniam rogantibus dare nolunt.

THEMA.

Ephphetha. quod est, adaperire. Marci VII.

Mirari aliquis posset, quamobrem Christus totæ ceremoniis surdum hunc curarit, cum illi qui

adduxerunt eum non peterent nisi solam manus impositionem, et Matthæus dicat multos eo tempore cæcos, claudos, debiles ad ejus pedes projectos, et omnes mox curatos esse. Denique, nonne uno alterove verbo mortuos excitavit? Quid igitur causæ est, quod ad unius surdi aures aperiendas tam multis utitur mediis, parergis et cæremoniis? Sed nimirum Christus morbos corporales curavit propter morbos animi: ideo illorum curam horum curæ accommodavit. Quando igitur ad surditatem corporis corrigendam tam multa adhibuit media, manifeste indicavit quam gravis animi morbus sit surditas spiritualis, quam difficilis emendatu. Quinam vero potissimum morbo hoc laborent, paucis indicabimus; et si fieri potest, remedium adhibebimus.

I. Primi sunt, qui bona consilia et correctiones non audiunt neque admittunt; de quibus dicitur Psalmo, LVII. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium et venefici incantantis sapienter.* Sunt hi in periculo præsentissimo interitus. De Banaia referunt sacræ litteræ, II. Reg. XXIII. quod descenderit in cisternam, et percusserit ibi leonem in diebus nivis, qui nimirum casu in illam inciderat, ut refert Josephus: *Repugnantem, inquit, ictu baculi, quem gerebat, exanimavit, quia nimirum, ut vivus extraheretur, adjuvantem non admisit.* Ita nimirum illos, qui cum in peccatum lapsi sunt, nec inde eripi se patiuntur salutari correctione, sed potius reluctantur et repugnant, velut incorrigibiles perdit et extinguit Deus. Quæ enim spes salutis est, cum æger repellit medicum? Cum respuit medicinam? Unde D. Chrysostomus, in homilia de ferendis reprehens. tom. III. ait: *In peccatis hoc operantur reprehensiones, quod in vulneribus remedia.* Idcirco, sicut insipiens est qui pharmaca rejicit, ita et stultus, qui non suscipit grato animo reprehensiones. Sic insaniebant Judæi, quando Sancto Stephano, medico et correctore suo verba salutis proferente, aures ocludebant: *Dissecabantur cordibus, et stridabant (more serpentum) dentibus in eum, et continuerunt aures suas, velut aspidæ et obturantes aures suas, Act. VII.* Quod etiam fecerunt paulo ante suum excidium homini prophético, nomine Jesu, qui plusquam septennio in urbe circumcursans exclamabat: *Væ, væ Jerosolymis, exterminium eis denuntians verissimo præ-sagio; quem tamen adeo non audierunt, ut comprehensum etiam acriter ceciderint, Joseph. lib. VII. c. XII.* Mirabilem etiam cladem senserunt anno 1618. Pluresenses apud Grisones, incolæ fere 2100. tempore nuptiarum, dum in epulis, ludo, saltu alii lucris suis occupati, montis

vicini ruina oppressi sunt, qui prius sæpius præmoniti de impendente ruina, primo per lapideam tabulam inter ædium rudera post repertam, Hebraicis litteris exaratam, in hæc verba: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? Egredimini de Babylone, salvate animas vestras. Nemo taceat peccata eorum: veniet enim vindicta Domini, et retribuet eis secundum iniquitates eorum.* Deinde, per fœtorem intolerabilem, quasi de morituro homine egressum, fatale quid nuntiantem. Tertio, per duo examina apum inter se dimicantia ad interneccionem utriusque (apud Corn. a Lapide, in c. VI. Apoc. vers. IV.) Quarto, per pastorem, qui rimam montis aperiri sentiens, gregem alio pepulit, ac denique per pauperem hominem (hic forte pastor ille fuit) qui id vaticinatus, et urbis cancellarium Joan. Andreæ Wertenmann super ea re convenit; nec tamen auditus, sed potius derisus pene plagas retulit, falsi prophete nomine appellatus et ablegatus cum indignatione. Refert Nicol. Bellus, apud Georg. Stengel. II. p. labyr. c. XVIII. Sic nimirum et Noemum deriserunt impii, quibus diluvium præ-sagit, et alios, qui ejusdem ideam in æs inciderunt, teste Beroso Chaldæo, l. I. idcirco velut desperati diluvio exterminati sunt.

II. Qui verbo Dei aures ocludunt, idque vix toto anno semel audiunt. Et quid his dicendum, nisi illud Christi: *Qui ex Deo est verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis?* De panthera scribunt S. Isidorus in etymol. Albertus M. l. de animal. et post eos Berchorius, in rept. v. *Audire, Geminianus de simil. quod non solum animal sit variis et pulchris coloribus, sed etiam grato feris aliis odore, quo eas ad se attrahit: quin et voce suavissima, qua et suæ et alterius speciei bestias allicit: solus draco ejus vocem oderit, velut sibi venenosam, eaque audita in cavernam suam se abscondat.* Qui vox pantheræ nisi verbum Dei pulcherrimum, suavissimum? Hoc ergo Christi fideles, qui electi sunt, libenter audiunt ac requirunt: at vero dracones, qui ex Deo non sunt, filii tenebrarum, odio habent; itaque tempore concionum in suis cavernis se abscondunt. Quid vero de his sperandum? Quod de hominibus qui cibum omnem aversantur, et marasmo laborant, de quibus dicitur, Psal. CVI. *Omnem escam abominata est anima eorum: appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Quid enim nisi mors hanc surditatem sequitur? Judæos secutum est exterminium et abductio in Babylonicam captivitatem sub Sedecia, quando is: *Non erubuit faciem Jeremiæ prophete loquentis ad se ex ore Domini: sed et universi*

principes sacerdotum et populum subsannabant nuntios Dei et parvipendebant sermones ejus, illudebantque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, et esset nulla curatio. Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, etc. ut dicitur II. Par. ult. Similis clades excepit subditos episcopus Trajectensis sub S. Amando, eorum episcopo: cum enim aures prædicationi ejus clauderent, alii risu eum exciperent, quidam aliis sceleratior, sævo correptus dæmone, animam misere efflavit. Episcopus, excusso in eos pedum pulvere, alio discessit, monasterium sibi cum suis extruens. Mox per biennium terra illorum, qui ejus prædicationem spreverunt, in solitudinem quasi redacta est, desolati vici et castra, agri inculti relictæ, eversæ domus, nullusque eorum, qui contempserunt eum, remansit, ut scribit Milo monachus monasteriis S. Amandi, in Sur. 6. februar. Nimirum hoc est quod dixit Christus, Matth. X. *Quicumque non receperit vos neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: Tolerabilis erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.*

III. Qui causas pupillorum et viduarum non audiunt et expediunt. Tales erant tempore Isaïæ principes Judæorum, quos arguit, cap. I. *Principes tui infideles socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant et causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus: Heu! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis.* Quia enim a viduis pauperibus non sperant munera, ideo earum causas differunt vel dissimulant. Eodem spectant qui pauperes mendicantes non audiunt. De quibus dicitur, Prov. XXI. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis: et ipse clamabit et non exaudietur.* En malitiam avari; obturat aurem, et quidem ad clamorem pauperis. Huic duplicatæ malitiæ respondebit duplex pœna: nam primo, et ipse incidet aliquando in calamitatem, ut clamare cogatur; deinde, non exaudietur. Sic contigit in primis Macedonio magistro officiorum Gratiani imp. qui S. Ambr. ad prætorium, ut pro quodam intercederet, eunti fores ocluserat. Eo enim viso, ait ipsi Ambr. *Et tu quidem venies ad ecclesiam, quam neque clausas januas inveniens ingredieris.* Quod et factum. Nam mortuo Gratiano, ad ecclesiam confugit, nec tamen ad eam aditum, patentibus licet foribus, invenire potuit, Baron. ex Paulino, anno 381. Ita qui viscera misericordiæ claudunt pauperibus, invenient aliquando clausa sibi, licet aliis aperta, viscera misericordiæ Dei. Nonne id manifeste patuit in